



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 26. Stephani Gerlachii fata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. *Novatorum, Alvearium adversus Philip-  
A. C. 1613. pum Aldegundum, Hæreticum Araneum*  
præter plura alia tam Dogmatica, quam  
Ascetica opuscula, quorum indicem  
contexuit P. Alegambe. Ceterum pro  
more illius ævi majorem, quam par  
erat, in controversiis acerbitatem præ-  
ferebat. Denique die decima sexta  
Junii vitam cum morte commutabat  
Hispani Ludovicus ab Alcasar, qui vi-  
ginti annorum opus edidit, sub titulo,  
*Vestigatio arcani sensus in Apocalypsi, præ-  
ter eas veteris Testamenti partes, quas re-  
spicit Apocalypsis: Exstat quoque Lug-  
dunensibus literis excusum ipsius opu-  
sculum de Ponderibus & mensuris.*

## §. XXVI.

*Stephani Gerlachii fata.*

*Adam.  
Theol. Germ.  
Weissm. hist.  
Eccl.  
Niceron.  
mem. des  
hom. illustr.  
tom. 26.*

**E**x Lutheranae sectæ Theologis, quos  
Literatorum commercio mors hoc  
anno subduxerat, primus occurrit Ste-  
phanus Gerlachius Knittlinga-Wirtem-  
bergicus, qui emenso studiorum curri-  
culo prima Doctoratus laurea decora-  
tus, Eslingæ Magister creabatur, postea  
Baroni Ungnadio Maximilianii. Cæ-  
saris ad aulam Ottomanicam Legato  
Præco, & Theologus adjungebatur,  
ubi eum Joannes Ferberus olim Lu-  
theranus civis ac Pistor, qui ad Maho-  
metem



metem defecerat, ut Christianam Religionem irrideret, e media turba ex Catechismo Wirtembergico his verbis Germanicis alloquebatur: *Cujus fidei es tu?* Cum vero Wirtembergenses Theologi de unione suæ Ecclesiæ cum Jeremia Patriarcha agerent, Gerlachius egregiam conferebat operam, haud alio tamen laboris successu, nisi quod Antistites Græci ipsius eruditionem & humanitatem deprædicantes, amplissima quidem verba, rebus tamen vacua redderent: Redux vero, postquam mare & aridam circuiverat, ut exteros sectæ suæ profelytos faceret, interim domesticos, omnesque paternæ suæ familiæ consanguineos ad Anabaptistarum hæresin transiisse, non sine magno animi sui mœrore compererat, eo vel maxime, quod nullis deinceps monitis eos in veterem orbitam revocare potuerit. Obiit tandem Tubingæ anno ætatis suæ sexagesimo septimo die vigesima Januarii. In scriptis suis tractabat potissimum controversias tum ferventes contra Calvinistas & Joannem Busæum Jesuitam, cui *Anti-Busæum* opposuit: Edidit quoque suum *Anti-Daneum*, & *epitomen historię Ecclesiasticæ*.

Sæc. XVII.  
A. C. 1613.